



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindellicorum, 1730

Decisio LXX. Argumentum. Propositis quatuor divisionibus Livelli disputatur, an alius sit Prædialis, seu fundlarius, & alius Pecuniarius? Hanc divisionem traditam à Cæsare Manento non esse prædialem ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

8. Ob cessationem solutionis pensionis intrat caducitas, & fundus cadit in commissum tam in Emphyteusi, quam in Livello; prout etiam ob alienationem factam sine consensu Domini. Cardin. Tuscus *ibid.* num. 9. & 10. ex Bart. in l. 1. §. Quod autem: l. 2. de superficie. & alii plurimi, quos citat Tiraquell. de Retract. lin. §. 1. Gloss. 14. num. 84. Decius *consil.* 146. & 159. & 163. Ruin. *consil.* 161. num. 30. lib. 1. Natta *consil.* 114. & Marc. Anton. Variar. Resolut. lib. 1. resol. 62. per totam; præcipue num. 8. vigore pacti prælationis, quod in contractu ponitur favore Domini ipsius Livelli.

DECISIO LXX.

ARGUMENTUM.

Propositis quatuor divisionibus Livelli disputatur, an alius sit Prædialis, seu fundarius, & alius Pecuniarius? Hanc divisionem traditam à Casare Manento non esse veram, sed omnem Livellum esse prædialem fortissimis rationibus ostenditur; evacuatis argumentis ejusdem Casaris Manenti.

SUMMARIUM.

1. Livelli divisiones quatuor, & quæ?
2. Livellari non possunt bona Ecclesie sine licentia Papæ.
3. Livelli divisio in fundarium, & pecuniarium impugnata.
4. Casar Manentus de Livello pecunia constituto reprobat.
5. Emptio, & venditio simulata quæ sit?
6. Locatio perpetua censetur esse Livellus.
7. Vendere prædium sine mensura, aut viliori pretio arguit simulationem.
8. Obligatio solvendi datum Instrumenti, & expensas ejus, impositas venditori fundi arguit venditionem simulatam.
9. Venditio fundi, ut retrocedatur ad Livellum, est venditio vera.
10. Livellus factus pravâ venditione fundi, & ejus retrocessione, est legitimus, validus, & prædialis.
11. Claus. Constituti transfert statim dominium fundi in Emptorem.
12. Venditor fundi retinet possessionem ex titulo initii Livelli.
13. Malignitas est interpretari contractum licitum tanquam Usurarium.
14. Mensura, & extractio fundi non est de essentia venditionis.
15. Pretii inæqualitas rei venditæ quando indicet simulationem?
16. Contractus ex conventionione partium legem accipiunt.
17. Consuetudo generalis facit legitimum pactum.
18. Expensa Instrumenti venditionis ad quem spectat?
19. Livelli unica est species, & omnis Livellus est prædialis.

1 Sequitur ad explicationem hujus contractus, ut sciamus, Quotuplex sit Livellus? Et circa hoc quæsitum quatuor divisiones assignatæ fuerunt. Prima, quod alius sit Livellus perpetuus, qui francari non potest invito Domino, & alius Temporalis, qui quodocunque, vel post alicujus temporis cursum redimi, & extinguere valet. Secunda; quod alius Livellus sit fructuarius, nimirum qui solvitur in fructibus, puta frumento, uvis, oleo:

Alius pecuniarius, cujus pensio solvitur in pecunia. Tertia, quod alius sit Secularis, seu profanus, qui scilicet constituitur à personis laicis; & alius Ecclesiasticus, quando bona Ecclesie dantur ad livellum, vel super iisdem bonis Ecclesiasticis constituitur Livellus, seu, ut vulgò dicitur, recipitur pecunia ad livellum; & in hoc casu requiritur præcedens licentia Sed. Apostolicæ; quia facere Livellum est species alienationis comprehensa in Extravag. Ambitiosa, de Rebus Ecclesie non alien. & prohibita sub censuris. The-saur. de Pernis part. 2. Verb. Alienatio cap. 1. & 2. & Verb. Usurpatio cap. 2. Quarta divisio est, quod, sicut Censui vel est Resignativus, videlicet formatus cum traditione fundi, vel Consignativus constitutus cum pecunia, ita Livellus alius sit Fundarius, seu Prædialis, id est factus cum concessione fundi, & alius Pecuniarius, nimirum, qui creatus, & constitutus est cum pecunia. Casar Manentus in dict. Tractatu de Jure contract. livellarii quæst. 3. ubi post longam impugnationem hujusmodi Livelli pecuniarii deducit, in nihilo differre à censu consignativo; ac proinde, nisi constitutus fuerit servatis omnibus conditionibus in Bulla S. Pii Quinti suprarrelata statutis, contractum esse illicitum, usurarium, & omnino damnandum.

Cæterum prædicta distinctio livelli fundarii, & pecuniarii, quam facit Manentus, non est vera; sed prorsus dicendum, & tenendum, unicam esse speciem Livelli, videlicet, fundarii, seu prædialis; sive fundus, qui traditur Livellario ad livellum, fuerit ab antiquo possessus à domino livellante, sive per eundem sit nuper emptus numerata pecunia, & receptus à livellario, cum pacto retrocedendi ipsum ad livellum; quandoquidem etiam in hoc casu, qui acquirit livellum, proprium fundum tradit livellario, retinendo in se dominium directum, quod iusto pretio acquisivit ex contractu præcedentis emptionis, & venditionis rite, & rectè factæ, ac perfectæ, inter ipsos contrahentes, livellantem, scilicet, & livellarium; qui quidem cum professi fuerint per expressum vendere, & emere, contraxerunt ad invicem illius fundi emptionem, & venditionem; quæ stante re, & pretio determinato, perficitur solo consensu. l. Consensu. ff. de Act. & Oblig. l. 2. ff. de Contrahen. Empt. l. 1. ff. de rerum permut. Cardin. Mantica de Tacit. lib. 14. tit. 11. num. 37. Igitur perfecta, completaque emptione, & venditione per solutionem pretii, quod actualiter facit emptor fundi, & ejusdem dominio pleno acquisito per clausulam Constituti, de qua in instrumento Barbosa de Clausul. Ususfreq. claus. 31. volentes ipsæmet partes devenire ad contractum Livelli, emptor, qui jam est dominus fundi, dat illum ad livellum venditori, & in eum transfert solum dominium utile, retento apud se dominio directo; unde sequitur, quod idem emptor, si alteri personæ daret fundum illum ad livellum, diceretur facere livellum fundarium, seu prædialem; ita venit quoque dicendum, et si contractus livellarius fiat cum venditore; completa jam, & consummata venditione, & emptione fundi.

Porro hanc veritatem nixus est impugnare 4 Casar Manentus in prædicto suo tractatu de Jure contractus livellarii pecunia constituti; asserendo, contractum prædictum emptionis, & venditionis fundi esse simulatum, & nullius roboris, eo quia

venditor non videtur habere animum vendendi fundum, sed recipiendi pecuniam pro suis indigentis; & econtra emptori non est mens emendi eundem fundum, quem ut plurimum neque vidit, neque agnovit; sed ejus intentio est dare pecuniam ad lucrum, & mutuum palliare, ut salvo capitali, ex eodem valeat usurariam pensionem impunè percipere: quam assertionem idem Manent. ex sequentibus potissimum intendit probare.

Primò. Quia illa non est emptio, & venditio, in qua res vendita statim ab eodem venditore recipitur. *l. Non videtur ff. de Reg. Jur. l. Qui sic solvit. ff. de Solut. l. 4. §. 1. ff. de Manumiss.* Siquidem emptiones rerum fieri solent, ut res perpetuò sint apud emptores. *Manent. in d. tractatu quast. 1. num. 16. ubi DD. cumulat.* Sed in emptione, & venditione, quæ præcedit contractum, imò in ejus possessione, & retentione venditor ipse permanet. Ergo simulata, & fictitia est dicta emptio, & venditio. *Prosp. Farinac. de Falsit. & Simulat. quast. 162. num. 228. innumeros DD. cumulans, & Rota Avenion. decis. 38. num. 4. & decis. 94. num. 5.*

Secundò. Quia quando quis emit fundum, & statim illum retrocedit in perpetuam locationem, ex ea arguitur, emptionem, & venditionem præcedentem fuisse simulatam. *Natta conf. 198. num. 10. lib. 1. Mascard. de Probat. conclus. 439. num. 24. 25. Cepolla de simulat. contract. num. 52. & seq. & Farinac. de Simulat. quast. 163. num. 115.* Sed qui emit fundum cum pacto retrocedendi ad livellum, illumque statim ad livellum venditori concedit, locationem perpetuam facit. *Cardin. Mantica de Tacit. lib. 1. tit. 1. num. 16. ubi quod locatio in perpetuum, vel ad annos 29. renovanda nihil aliud sit, quam emphyteusis. Ergo præcedens emptio, & venditio fuit simulata.*

Tertiò. Ubi quis fundum emit in confuso, ac sine certa, & determinata mensura, præsumitur simulare contractum, & non habere intentionem veram emendi. *Manentus d. tract. de Jure contract. livellarii quast. 3. num. 54. & seqq. ubi DD. Et tantò magis si pretium non sit æquivalens valori ejusdem fundi. Glossa in cap. Conquestus. in Verb. feudum. & Abb. num. 7. de Usur. & in cap. Ad nostram num. 9. De empt. & Ugolin. eod. tract. cap. 41. §. 2. Farinac. de Fals. & Simulat. d. quast. 163. num. 9. & seqq. At in constitutione livelli pecuniarii prædia, quæ venduntur, non dantur ad mensuram, sed ut plurimum in confuso nominantur, & pretium non correspondet valori vero eorundem prædiorum. Ergo dicendum venit, simulatam esse præcedentem venditionem.*

Quartò. Tantò magis, quia ferè semper emptor prædii ad effectum retrocedendi illud ad livellum, imponit onus venditori solvendi datum instrumenti, ac expensas Notario tum rogatus illius, tum etiam copiarum authenticarum, eidem emptori consignandarum; ex quo resultat urgentissima præsumptio simulatae venditionis. *Lupus de Usur. Comment. 2. §. 1. num. 45. Farinac. d. quast. 163. num. 105. Menoch. lib. 3. Præsumpt. 122. num. 57. 58. 59. Cardin. Mantica de Tacit. & Ambig. lib. 8. tit. 29. num. 25. & Manentus d. quast. 1. part. 11. per totum; quibus aliisque pluribus præsumptionibus nititur probare invaliditatem emptionis fundi, seu prædii, super quo*

contrahentes intendunt constituere livellum; & exinde deducit, livellum esse pecuniarium, ac impositivum; & omninò distinctum à livello fundiario, seu prædiali; ac similem Gen. sui consignativo.

His tamen minimè obstantibus, non est recedendum à supràfirmata regula; quod unica sit species livelli, scilicet fundialis, & prædialis, seu tradatur ad livellum fundus Patrimonialis ipsius livellantis, sive ipse fundus eo instanti prævenditus fuerit ad hunc effectum ab ipso livellario, & ei retrocessus in livellum ab emptore; ea ratione quia, cum ipsi contrahentes sciant, ad legitimum livellum constituendum necessarium esse, ut vera præcedat emptio, & venditio prædii, super quo livellus est fundandus; & idem contrahentes concordent super ipsa emptione, & venditione; ac verè, & realiter venditor habeat prædium vendendum, illudque venditionis titulo tradat emptori; qui contra verè, ac realiter exburfat pecuniam titulo emptionis, eamque tradit venditori pro pretio prædicti prædii; nihil est, quod impediat essentiam illius contractus, quem agere, & concludere ferriò, ac determinatè intendunt utrique contrahentes; cujus vigore contractus emptor fit dominus prædii, & illius acquirit dominium tam directum, quam utile, *l. traditionibus. C. de Pactis, nec non possessionem vigore clausulæ Constituti in instrumento emptionis, & venditionis appositæ. Farinacius d. quast. 162. num. 233. Barbosa d. clausul. 31. quo dominio, ac possessione acquisitis, descendendo ad secundum contractum livelli, emptor, & dominus prædii dat illud in livellum venditori, concedendo eidem dominium utile, & naturalem possessionem prædicti prædii, retinendo sibi dominium directum, ac possessionem civilem; ita ut livellus censendus sit omninò prædialis, ac fundarius eodem modo, ac si prælibatus emptor idem prædium pleno jure, & in suo patrimonio retinuisse per decem, viginti, ac majorem numerum annorum: essentia enim, & substantia domini super dicto prædio non pender à diuturnitate temporis, quo retinetur ab emptore; sed ab essentia, & substantia emptionis, & venditionis, quam perfectam, & completam, & irrefragabilem esse affirmant Jura, & Doctores ex traditione rei, & pretii, cum intentione contrahentium emendi, ac vendendi. *l. Naturalis. §. 1. ff. de Præscript. Verb. l. 1. & l. Pacta conventa ff. de Contrahend. empt. Cardin. Mantica de Tacit. d. lib. 4. tit. 1. num. 7. & tit. 3. num. 16. & ex Theologis Molina de Contract. disput. 337. Cardin. de Lugo disput. 26. num. 2.**

Neque obstant contraria fundamenta *Manent. 11. ii.* Non primum, quia verum non est, quod apud venditorem remaneat dominium, & possessio prædii venditi; utrumque enim transferatur in emptorem statim soluto pretio vigore clausulæ precarii, vel Constituti, quæ in instrumento emptionis, & venditionis apponitur; quæ quidem clausula excludit omnem præsumptionem simulationis resultantem ex retentione naturalis possessionis, ut in terminis scribit *Mascardus d. conclus. 439. num. 21. Menoch. de Arbitr. Jud. casu 39. num. 6. Cardin. Mantica de Tacit. lib. 13. tit. 36. num. 5. & Farinac. de Fals. d. quast. 162. num. 233. ubi alios concordantes allegat. Præterquam quod statim completo emptio;*

emtionis, & venditionis primo contractu partes descendunt ad contractum secundum, nempe livelli, in quo, ut cunctis patet, transfertur dominium utile, & possessio naturalis in livellarium, qui propterea absque scrupulo remanere potest in possessione rei venditæ; neque inde resultat simulationis præsumptio obmutatam causam, & titulum possidendi, ut bene respondet huic obiecto Rota part. 4. recent. decis. 435. num. 50. tom. 1. & part. 2. divers. decis. 116. num. 12. Cardin. Mantica d. lib. 13. tit. 36. num. 4. & Farinacius d. quæst. 162. num. 241.

Secundum pariter non obstat (ex pacto scilicet retrocessionis rei venditæ ad livellum, & ex ejusdem pacti immediata executione, præsumi simulatam fuisse emptionem, & venditionem, & re vera, contrahentes voluisse pecuniam mutuo dare, & recipere, ac ex ea fœneratitium lucrum constituere.) Talis enim præsumptio, & interpretatio capit aliquam malignitatem, & ratio est, quia cum datio pecuniæ possit fieri cum iusto titulo emtionis prædii, super quo postea fundetur livellus (prout cum hoc titulo datur non est retorquenda in titulum pravum, & præsumendum, quod contrahentes, qui possunt legitime, & absque culpa contrahere, velint peccaminose, & damnatis modis contractum inire. Cardin. Parisius lib. 1. consil. 60. num. 6. Cardin. Mantica de Tacit. lib. 2. tit. 4. num. 18. & lib. 9. tit. 25. num. 2. & 3. Ideoque respondetur, pactum illud de retrocedendo prædium venditum ad livellum esse pactum licitum, irreprehensibile, & à jure concessum, l. 2. C. de Pactis inter empt. & vendit. Honded. consil. 33. num. 64. & seqq. lib. 2. Marta dict. consil. 126. num. 4. Rota dict. part. 4. recent. decis. 435. num. 6. & Farinac. qui plurimos cumulat de Falsit. & Simulat. quæst. 163. num. 20. & in terminis docet Borgninus decis. 13. num. 48. in 2. quem indebitè carpit Manentus quæst. 3. num. 20.

Tertium non obstat: quia etsi prædium pro constituendo livello vendatur absque mensura, & sit indivisum, seu extrahendum ex corpore majoris quantitatis camporum, per hoc nullum obstaculum resultat validitati Instrumenti, & sinceritati contractus, cui sufficit realis existentia prædii, & ejus quantitas in Instrumento nominata; ut pluribus iuribus, Doctoribus, & rationibus probat Cardin. Parisius dict. lib. 1. consil. 59. & consil. 60. & lib. 3. consil. 77. cujus auctoritati, & doctrinæ magis est deferendum, quam opinioni Manenti, qui ut suam sententiam laudet, injustè tantum Autorem reprehendit dict. quæst. 3. num. 58. Prout etiam non subsistit obiectum de pretio non æquivalenti vero valori prædii: eo quia, esto quod ob futuram retrocessionem prædii ad livellum, contrahentes solliciti non sint de ultimo quadrante iusti pretii, nihilominus ob parum plus, vel parum minus, quam in veritate prædium esset æstimandum, simulatio emtionis, & venditionis locum non habet, cum ad eam inducendam variatio debeat excedere medietatem iusti pretii. Honded. dict. consil. 33. num. 62. lib. 2. Covarruv. Var. resol. lib. 3. cap. 10. num. 1. & in terminis Rota dict. part. 4. recentior. decis. 435. num. 7. & 8.

Quartum non obstat, quandoquidem non est cum amaritudine sumendum, si expensæ Instrumenti solvantur per livellarium ex pacto: quia quilibet potest in traditione rei suæ, quam

velit, legem imponere, l. Legem. C. de Pactis. l. In traditionibus. ff. eod. tit. Et contractus omnes ex conventionione partium legem accipiunt, l. 1. §. Si conveniat. ff. Deposit. & l. In conventionalibus stipulationibus. ff. de Verb. oblig. & præcipue livellus, & emphyteusis, quæ suis pactionibus fulciuntur, ut ait Imperator in §. Aded autem. Instit. de Locat. & conduct. & l. 1. C. de Jur. Emphyt. Maxime attenda generali consuetudine regionis sic paciscendi, quæ tale pactum excusat. Menoch. d. lib. 3. Præs. 122. num. 60. Sed concedamus, tale pactum argui posse de injustitia; (cum de Jure expensæ instrumenti spectent ad emptorem; Gencius de Censib. part. 2. cap. 1. quæst. 1. art. 2. num. 6. Bonacina de contr. dispur. 3. quæst. 4. punct. Unic. num. 32. & Tambur. de Triplic. Jur. lib. 9. tract. 2. cap. 3. §. 2. num. 14. Vel saltem pro dimidio ad utramque partem Cepolla: in l. Debet autem num. 4. ff. de edil. edict. quod laudabile erit, si adverterint tum contrahentes, tum Notarii, tum etiam Confessarii;) attamen ex eo non potest deduci nullitas contractus, quia prædictum pactum non est contra substantiam, sed contra naturam contractus, & idè ipsum pactum vitiatum, non autem contractus, qui eo non obstante in suo robore manet, ut docet Redoan. de Reb. Eccles. non alien. quæst. 79. cap. 12. num. 6. Gratian. Discept. forens. cap. 141. num. 20. & 21. Scaccia de Commenc. §. 1. quæst. 2. p. 2. ampl. 20. num. 14. & 15. & pluribus citatis approbat Gencius de Censibus p. 2. cap. 1. quæst. 3. art. 1. num. 11. 12. & 13.

Et ex his inconcussum remaneat, unicam esse speciem livelli, & omnem livellum esse prædiale, seu fundiarium; quia de essentia livelli est, ut livellarius recipiat prædium à domino, & absque dubio emptor prædii factus est dominus ejusdem prædii, antequam illud tradat ad livellum. Igitur livellus est prædialis, & fundiarius, quia talis dicitur, quando fundus originaliter procedit à concedente, ex doctrina Beccii consil. 35. num. 13. & Thesaur. Jun. For. quæst. lib. 4. quæst. 43. num. 2.

DECISIO LXXI.

ARGUMENTUM

Livellarium contractum esse de sui natura licitum, probat hæc Decisio. Deindè examinat, an sint iusta hæc quatuor pacta? scilicet: 1. Ut solvantur quinque cum dimidio pro omni centenaria. 2. Ut sint libera à publicis gravaminibus, 3. Et ab omni restau- ro. 4. Et quod in casu venditionis ratio- num utilium Dominus directarius præferat cæteris.

SUMMARIUM

1. Livelli contractus an sit licitus? & num. 3.
2. Livelli in creatione an sint servanda conditiones Bullæ S. Pii V. de Censibus? & num. 4.
3. Conditiones servanda in livello, ut sit licitus.
4. Livelli legitimitas in qua ratione fundetur?
5. Casus Manenti argumenta non manentia.
6. Bartholomæus Sylvaticus Eques Patricius Patavinus, & in Publico Gymnasio Jurisprudentia Professor laudatus.
7. Desiderium in quo differat à voluntate?
8. Similitudo infirmi cum livellario.
9. Livelli legitimitas à DD. & communi usu approbata.
10. Pen-